



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Alphabetum aureum erudissimo iuxta ac sanctissimo viro D. Ioanni Taulero à suo magistro traditum iuxta quod se regeret, in nouitate ambulans vitæ, per D. loa[n]nem Lanspergium cognomento Iustum, è ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

dat sapientes. Itaque filium se ostendit mundi, atque seculi amicum, quisquis ea  
 quae spiritum instruunt, spernit. At verò qui studioso animo eruditionem spiri- 1. Cor. 2  
 tus obsequat, siue per diuinum ea fiat inlicitum, siue per externam (cuiusmodi  
 in his rudimentis contingit) instructionem, eandemque vsu frequentiori in con-  
 suetudinem duxerit, haudquaquam, si perseverauerit, quin ad maiora, atque a-  
 deo ad ipsius perfectionis apicem subleuetur desperandus est. Nunquam enim bo-  
 nae dicitur voluntati Deus ad virtutem, ad sanctimoniam, ad anteriora perfectio-  
 rum anhelanti.

*Alphabetum Aureum, eruditissimo iuxta ac sanctissimo viro D.  
 Ioanni Thaulero, à suo magistro traditum, iuxta quod  
 serereget, in nouitate ambulans vitæ, per D. Ioan-  
 nem Iustum Lanspergium Carthusianum è  
 germanico idiomate latinè donatum.*

## CAPVT LXIX.

**A**D inchoandam vitam bonam adeo te accingi forti ac constanti animo o-  
 portet, vt nulli labori, nulli difficultati scias esse cedendum.

Bona agere & cauere mala quomodo possis semper præmeditare, &  
 melius operari indies stude.

Confidera in omni re medium, & eam discretionem vbique serua, vt ne quid  
 nimis, ne quid minus.

Deuotus esto ac hilaris ad omnia bona, & absque murmure obedias.

Esto castus tam corpore quam anima, ac in cunctis alijs sincerus, quæcunque  
 cordis aduersantur puritati à te excludens.

Fideliter te in operibus exerceas misericordix tam spiritualibus quam cor-  
 poralibus, nullam boni operis negligens occasionem.

Gloriæ alienæ non inuidias, nec aliena siue corporalia siue spiritualia sint bona,  
 appetas: sed esto contentus diuina providentia circa te: & omnibus bonis indig-  
 num te æstima.

Humilia te ipsum in verbis & operibus, ac exteriorem tuum hominem om-  
 nibus subijce ex animo; intus vero te ipsum contemne, ac contemni gaude.

In simplicitate cordis omnia intellige, & in meliorem partem interpreta.

Karitas in te semper æstuet: cum fide firma & spe secunda ad Deum. Ad omnem  
 vero proximum exhibe te sicut ad te ipsum.

Linguam tuam à malis & otiosis verbis contine: pro peccatis vero tuis ad la-  
 chrymas, ad compunctionem & ad vitam abstractam te conuerte.

Mitis & mansuetus esto ad omnes, & nihil tibi occurrat, ex quo non ædifica-  
 tionem accipias, & melior inde fieri studeas.

Non retrospicias ad seculi negotia, nec animo verferis circa creaturas negli-  
 genter, sed vt spiritu semper proficias annitere, & propositum tuum ac consilia  
 bona quasi iam primum incepturus quotidie & renoua, & magis roborata.

Omnem acediam, teporem, molliciem & indulgentiam propriam, violenter  
 à te propelle & vince.

Bbb

Patien-

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

- P.** Patienter fertio quicquid tibi aduenerit aduersi, siue id à Deo, siue ab hominibus, siue ab alia quavis creatura illatum fuerit, pro diuini beneplaciti amore, & in peccatorum tuorum pœnitentiam id assume.
- Q.** Quicquid præter simplicem necessitatem naturæ se ingerit, tam in cibo quam potu, aliave quacunq; re, hoc tibi abstrahe, & consolationes omnes quæ sunt extra Deum fuge.
- R.** Remitte omnes iniurias aut molestias ex corde ijs qui te offenderunt, vt neque verbo, neque cogitatione in te appetitus vindictæ refideat, quo minus eos diligas ac beneficias.
- S.** Serua ad omnes homines sine dolo ac fitione veritatem & fidem.
- T.** Tentationibus carnis, mundi atque diaboli viriliter resiste.
- V.** Voluntatem in te propriam persequere, & radicitus eandem in te stude mortificare, Deoq; strenuè inhære.
- X.** Christi vitam ac passionem imitandam, & quam dissimilis huic sis exemplari, continuè meditare, omnib; conatu quantopere vales ei conformari stude.
- Y.** Indefinenter beatam Mariam pro impetranda tibi gratia, quæ ad hæc prædicta seruanda est necessaria, inuoca.
- Z.** Zelare Dei honorem præ omnibus, & hominem tuum tam internum quam externum sic cohibe, vt subditus Deo acquiescas, pacemq; habeas in omnibus quæ circa te, aut alias quascunq; creaturas ille fieri permittit.  
Et vt sine murmure aut contradictione hæc à te seruetur lectio, bona te voluntate alacrem ac promptum semper exhibe.

*Tria sunt iuxta D. Ioannem Thaulerum ad proficiendum  
spiritu vtilia.*

CAPVT LXX.

**P**rimum: Deum eiusq; gloriam ac beneplacitum teipso relicto, voluntateq; propria posthabita ac contempta, purè ac simpliciter in omnibus intende ac quære. *Secundum:* In omni actione & egressione tua teipsum vigilanter obserua, introspiciens in teipsum & expendens quam nihil sis. Nec à teipso recedas, sed cognoscas quid tractes, & quid in te versetur, quid etiam moueat te, & quare, vt aduertas ad quid ex intimo cordis mouearis. *Tertium:* Non occupes animum tuum rebus aut curis alienis, id est, quæ tibi commissæ non sunt, nihilq; iudices aut discutias sed omnia tibi stent aut transeant, vt sunt in suo esse vel in seipfis. Quod bonum est maneat bonum, quod malum est sit malum, sed non iudicetur. Intrauertas te igitur & maneat intra teipsum, auscultans quid intra te sibi loquatur Deus, & illi semper adhareas.

*Duo alia eximia.*

CAPVT LXXI.

**P**rimū est, vt in veritate paruus & nihil sis in oculis tuis, siue interiora siue exteriora tua respicias, & ita semper sine glossa & sine simulatione ex animo te nihil pendas.  
*Alterum,* vt veram ac puram studeas semper in te habere & exercere charitatem non amore illo sensibili contentus quo afficimur ad Deū & ad creaturas, sed nudā, simplici, verāq; charitate diligas, qua ex intimo animæ tuæ quæras ac intendas Deum solum.